NONA SYNODVS

ECCLESIAE SANCTI SEVERI

Quæ est tertia

Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini

CAROLI FELICIS DE MATTA

Eiusdem Ciuitatis Episcopi.

ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinassij.
M. DC. LXXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur;

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Dominicus Put. Bonellus Sacri Palatij Apoſt. Mag. Ord. Præd.

In Nomine Sanctissimæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cui laus, & gloria in Sæcula Sæculorum. Amen.

CAROLVS, FÆLIX MATTA,

Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratia Episcopus S. Seueri, & Ciuitaten.

Omnibus, & singulis in hac Diæcesana Synodo congregatis, Salutem in Domino sempiternam.

LIcet ab Antecessoribus nostris, & à Nobis in Synodalibus, & Visitationum Actis, plura statutá, ac Decreta, super his, quæ ad Catholicam fidem, ad Sacramentorum administrationem, ad Clericorum, officium, vitam, & mores pertinent, emanauerint, quia nihilominus ex præscripto Sac. Conc. Trid. singulis annis Synodum congregare tenemur, muneri nostro satisfacientes, quæ in præcedentibus Synodis acta fuere, in præsenti, vel con-

 firma-

firmabimus, aut, vt ratio moderni temporis exigit, ampliabimus, vel corrigemus, & his, quæ de nouo emerserunt prouidebimus.

Præmisso igitur Decreto, quod nulli præiudicetur in sedendo &c. & lectis de more Decretis Sacri Concilij Tridentini de Residentia &c.

De fide Catholica.

CAP. I.

EAm fidem tenemus; & profitemur, quam Sancta Catholica,& Apostolica Romana docet Ecclesia, & iuxta constitutionē San. mem. Pij Papæ Quarti, mox lectam.

De Cathedrali Ecclesia.

CAP. II.

CAthedralis Ecclesia Assumptioni B. Mariæ Virginis est dicata, in cuius festiuitate Episcopus sollemniter cælebrat, eique omnes Dignitates, Canonici, Beneficiati, Archipræsbyteri, Præsbyteri, & Clerici Ciuitatis, & Diæcesis obedientiam præstare tenentur, Consecrata fuit ab Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Fratre Vincentio Vrsino Prædicatorum Ordinis, tunc Antistite Sypontino.

Cum nullā habeat dotem prō reparatione, & manutentione,

:entione, in visitatione Episcopi Malaspinæ de anno 1591. hoc onus iniunctum fuit Capitulo, & Canonicis, Verum, cum hodiæ præbendæ Canonicales, sint valdè tenues, & mensa Episcopalis tenuissima, eidem reparationi, & manutentioni assignamus eleemosinas spontè dandas à Ciuibus, qui ad formam Sacrorum Canonum licentiam obtinent, laborandi in diebus festis, pænasque exigendas à laborantibus sine licentia.

Decoratur duabus insignibus Sanctorum Reliquijs, Videlicet Brachio, seu osse Brachij S. Mauritij Martyris ex legione Thebeorum, & Capite Sancti Seueri Martyris cum autenticis scripturis, pluribusque alijs paruis, decenter tentis.

Cathedrali vnita est Ecclesia Sancti Antonij, vna cum Hospitali annexo, in quo recipi debent omnes peregrini per tres dies, ad dormiendum tantum, omnesque infirmi, quibus subministrari debent omnia necessaria, tam ratione victus, quam infirmitatis.

Vtque commodius eisdem infirmis ministrari possint Sacramenta, mandauimus, & mandamus in eadem Ecclesia seruari Sanctissimum Sacramentum, & Sanctum Oleum, atque in mansionibus eiusdem Hospitalis degere Cappellanum amouibilem, habilem, & idoneum, ad ministranda Sacramenta, eligendum à Capitulo, & approbandum ab Episcopo. Cui Cappellano assignamus omnes fructus redditus, & eleemosinas Altarium eiusdem Ecclesiæ, cum obligatione tamen satisfaciendi oneribus ipsorum Altarium.

Volumus pariter, & mandamus per Archipræsbyterum Cathedralis assignari duos ex Clericis adscriptis Cathedrali, qui coadiuuent, & inseruiant eidem Cappellano, in administratione Sacramentorum infirmis, & qui audito signo Campanæ eiusdem Ecclesiæ Sancti

 Anto-

Antonij, statim accurrere debeant, sub pæna inhabilitatis ascendendi ad vlteriores ordines, ad quos promoueri non debeant, nisi docto per attestationem ipsius Archipræsbyteri, præsenti Ordinationi se paruisse.

Prior dicti Hospitalis eligitur singulis annis à Capitulo, qui tamen tenetur rationem reddere coram Episcopo.

Circa alia pertinentia ad Hospitale seruentur disposita in Synodis Malaspinę fol. 25. Densę fol. 27. & Fortunati fol. 31.

Vnita pariter Cathedrali est Ecclesia Sanctę Lucię Virg. & Mart. in qua Capitulum die festo eiusdem Virginis Diuina cælebrat.

Necnon Ecclesia Sancti Petri, alijs Conuentus diruti Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quoad spiritualia tantum.

De Episcopo, & Mensa Episcopali.

C A P. III.

Episcopus habet totalem iurisdictionem in personas Ecclesiasticas; & solus, sine adiunctis, procedit etiam contra Canonicos, Dignitates, & Capitulum.

Exigit quartam omnium decimarum personalium & realium, tritici, ordei, musti, & fabarum, necnon quartam funeralium, tam de cera, quàm de pecunijs, ab omnibus Ecclesijs, Cathedrali, & Parochialibus Ciuitatis, excepta Ecclesia Sancti Ioannis, quæ loco decima-

lecimarum singulis annis soluit septuagintaduos tumulos tritici, ad contentamentum Episcopi.

Medietatem item decimarum tritici, & ordei à Clero Turris maioris, & pro decimis personalibus, fabarum, & vini, triginta sex tumulos tritici singulis annis, ad contentamentum ipsius Episcopi.

Omnes pariter Decimas tritici, & ordei Terræ Sancti Pauli ad rationem semitumuli pro Versura.

Necnon vnum starium olei à singulis molendinis, omnibus annis, quibus aperiuntur, & oliuas macinant.

Exigit item singulis annis quinquaginta scuta ab Excellentissima Domo D. Principis Sancti Seueri pro decimis concordatis cum Assensu Apostolico, & quindecim scuta à Dohana Foggiæ pro territorio Sanctæ Iustæ.

Habet insuper Episcopus quartam omnium piorum legatorum sine onere, vel etiam cum onere, quando sit minimum, seu impositum tantum ad fraudandam Mensam Episcopalem.

De Capitulo, & Canonicis.

C A P. I V.

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis constituitur ex tribus Dignitatibus, Archidiacono, Archipræsbytero, & Primicerio, duodecim Canonicis, & quattuor Beneficiatis, qui omnes habent vocem in Capitulo.

Mensa Capitularis nulla stabilia possidet in comuni, sed tantùm decimas personales, & reales, ex quibus sol-

ſoluuntur quotidianæ diſtributiones.

Habitus Dignitatum, & Canonicorum eſt Almutia, de pellibus varijs, ſubſuto panno ſerico violacei coloris de tempore hiemali, & de panno ſerico rubeo, ſubſuto panno pariter ſerico violacei coloris æſtiuo tempore, habitus vero Beneficiatorum, qui vulgò dicuntur Abbates, eſt pariter almutia, de pellibus, ſed alterius color is.

Omnes Dignitates, & Canonicatus habent annexum ordinem Præsbyteratus, non obſtante diſtinctione facta in Synodo Malaſpinæ de anno 1598. quod duo penultimi Canonicatus ſint Diaconales, & duo vltimi Subdiaiconales.

Ex quattuor verò Beneficijs, licet in prædicta Synodo declaratum fuerit, ipſa non habere annexum, niſi Ordinem Subdiaconalem. Volumus tamen duo priora eſſe Diaconalia, ac Beneficiatos debere ſe promoueri facere ad Ordinem Diaconatus infra annum, juxta diſpoſitionem Sac. Conc. Trid. Quatenus vero ſint conſtituti in Ordine Sacerdotali, volumus habere onera, & honores, prout de præterito, & huc vſque ſeruatum fuit.

De Archidiacono.

C A P. V.

ARchidiaconus eſt prima Dignitas poſt Pontificalem, ad eumque ſpectant, & pertinent onera, & honores, de quibus in corpore Iuris, & in Decretis Apoſtolicis, habetque propriam præbendam diſtinctam

ctam ab omnibus alijs, consistentem in terris, & censibus.

Tenetur ad officium hebdomodarij, sicuti omnes Dignitates, & Canonici, obidque licet de iure non teneatur esse Sacerdos, ex antiqua tamen consuetudine huius Ecclesiæ, debet infra annum ad Præsbyteratum se promoueri facere, iuxta disposita in Sac. Conc. Trid.

De Archipræsbytero.

C A P. VI.

ARchipræsbyter est secunda Dignitas post Pontificalē habet propriam Præbendam ab alijs distinctam, & tenetur ad officium hebdomodarij.

Ad ipsum spectat Animarum cura, & admiuistratio Sacramentorū, in Cathedrali, & eius Parochia; potestque sibi eligere Coadiutorem de corpore Capituli, vel aliundè, approbandum ab Episcopo, & soluendū de redditibus ipsius Archipræsbyteri.

Celebrat in die Sabbati Sancti, quo die benedicit fontem baptismalem, atque in die Sabbati Vigiliæ Pentecostes, nec non in die octauæ Sollemnitatis Corporis Christi, quo die Sanctissimum defert per Ciuitatē, post Vesperas reponendum; atque in primis Dominicis singulorum mensium, in quibus post Missam defert Sanctissimum Sacramentum in processione intus Ecclesiam, vt ex visitatione Episcopi Caputo, de anno 1617. fol. 11. quod omninò seruari mandamus.

De

De Primicerio.

CAP. VII.

PRimiceriatus eſt tertia Dignitas poſt Pontificalem habet propriam præbendam diſtinctam ab alijs, & tenetur Primicerius ad officium hebdomadarij; curâq; habere Diuinorum officiorum, vt ſtatuitur in Synodo Epiſcopi Malaſpinæ de anno 1598. ſub his verbis.

Mandamus Primicerio, vt antequam Diuina Officia inchoentur, inueniat, præparet, & diſponat, quæ in officio illius diei recitanda, cantandaué erunt, examinetqué illos, vna cum Cæremoniarum Magiſtro, qui Epiſtolam, Euangelium, profetias, lectiones cantaturi, lecturiuè erunt, certoq; ſciat, qui eas rectè canere, & legere nouerint, nè incepto Officio, vel Miſſa, illis inueniendis, aut priuatim perlegendis, tempus conteratur aut eo quod malè legant (quod ſepè accidit) audientibus ſcandalum generetur; Qui quidem Primicerius perfecto Veſpertino Officio, aſſignare debeat lectiones illis, qui eas in Matutino ſequentis diei, lecturi, cantaturiuè erunt, vt illas perlegant, nè cum in Eccleſia recitauerint perperam legant, ſicut quotidie fieri videmus, quod ſi ipſe id præcipere, aut aliquis obedire neglexerit, præterquamquod ſeuere arbitrio Epiſcopi punietur Capitulum eligere poſſit, qui id faciat cum aſſignatione ſalarij ex ipſius Primicerij redditibus diſtrahendi. Quam diſpoſitionem omninò ſeruari volumus, & mandamus.

De

De Canonico Pęnitentiario.

C A P. VIII.

PÆnitentiaria erecta fuit ab Episcopo Malaspina ad formam,& iuxta dispositionem Sac.Conc.Trid. assignando eidem præbendam tunc primò vacaturam in Cathedrali, cui competunt onera, & honores, quibus gaudent Canonici Pænitentiarij, aliarum Cathedralium. Tenetur tamen ad officium hebdomodarij sicut alij Canonici.

De Canonico Theologo.

C A P. IX.

ASsignata pariter fuit ab eodem Episcopo Malaspina præbenda tunc primò vacatura in Cathedrali, conferenda perpetuis futuris temporibus Theologiæ Doctori, seu Professori, qui in Cathedrali Ecclesia statutis diebus Sac. Scripturæ lectionem habeat, in Seminario Pueros Cathechismum Romanum, vel alias doctrinas, bonos mores, atque Ecclesiasticam disciplinam docere teneatur.

Huic præbendæ Theologali, cum diu, & vltra memoriam hominum, ob sui tenuitatem vacasset, vltimò vnita fuerunt triginta scuta ex annuis redditibus paruorum Conuentuum suppressorum, cum onere vnius

Missæ singulis hebdomadis, loco Cappellaniæ, erigendæ ad formam rescripti Sac. Congregationis deputatæ de mensæ Aprilis 1653. quam vnionem approbamus, & confirmamus.

Dies, quibus lectio Sacræ Scripturæ in Cathedrali habenda est, sunt omnes Dominicæ, à prima post octauam festi Omnium Sanctorum, vsque ad Natiuitatem Domini Nostri Iesu Christi, & à prima post Octauam Epiphaniæ, vsq; ad Dominicam infra Octauam Ascensionis Domini inclusiuè.

De Hebdomodario.

C A P. X.

IN Ecclesia Cathedrali omnes Dignitates, & Canonici tenentur ad Officium hebdomadarij per turnum, & hebdomadam, tam in Missis, quam in Vesperis sub pæna trium carulenorum singulis vicibus applicandorum Sacristiæ, neque id munus (cessante legitimo impedimento) approbando ab Episcopo, vel Præfecto Chori) alteri demandari possit, prout statuitur in Synodis Antecessorum, & Nos denuò statuimus, & obseruari mandamus. Et quatenus fieret aliqua collusio, vterque tam ommittens, quam supplens arbitrio Episcopi plectatur. Intelligatur autem intercessisse collusionem, si Dignitas, vel Canonicus extra turnum, absq; licentia Præfecti Chori huiusmodi Officium faciat hebdomodarij.

Ob idque licet in Synodo Episcopi Malaspinæ statutum fuerit, vt vltimi duo Canonicatus sint Subdiaconales,

nales, & duo penultimi Diaconales, omnes tamen Canonici, à primo, vſque ad vltimum, ſicut etiam omnes Dignitates, debent eſſe in ordine Sacerdotali, ac proindè tenentur infra annum à die adeptæ poſſeſſionis, ſe promoueri facere ad Ordinem Præsbyteratus, iuſta diſpoſita in Sacro Conc. Tridentino.

De Officio Diaconi, & Subdiaconi.

C A P. XI.

LIcet ex diſpoſitione Synodali Epiſcopi Malaſpinæ Canonici teneantur ad Officium Diaconi, & Subdiaconi, prout etiam generaliter ſępius declaratum fuit à Sac. Rituum Congregatione, attamen quia id nunquam practicatum fuit in hac Cathedrali, vbi ſemper hoc munus geſſerunt Beneficiati, prout declaratur in Synodo Illuſtriſſimi Fortunati, propterea ſuper hoc nihil innouamus.

De Cæremoniarum Magiſtro.

C A P. XII.

IN Eccleſia Cathedrali iuxta diſpoſitionem Synodalem Epiſcopi Malaſpinæ, eligendi ſunt, iudicio Epiſcopi, duo Cæremoniarum Magiſtri, qui Epiſcopo cæ-

lebranti, vel assistenti inseruiant, Cæremonias Ecclesiasticas doceant, & pro huiusmodi officij executione, correctiones in omnes habeant, illisque omnes obedire teneantur.

Primus Cæremoniarum Magister eos, quibus prima Missa cælebranda est, & Sacerdotes minus peritos, in Missæ ritibus, ac Cæremonijs instruat, neque vlli Sacerdoti primam Missam cælebrare liceat, qui ab eo instructus non fuerit, & de huiusmodi instructione fidem ab eodem subscriptam, non ostenderit Episcopo, sub pæna suspensionis arbitrio eiusdem Episcopi.

De Officio Sacristæ.

C A P. XIII.

STatutum est in Synodo Malaspinæ, vt in Ecclesia Cathedrali, atque etiam in Parochialibus Ecclesijs, singulis annis eligatur vnus de Capitulo, vel de gremio Cleri respectiuè, qui curam habeat, vt quotidie suis, loco, & horis, Missæ dicantur, ac Missis pro Defunctis, & Anniuersarijs satisfiat, pecuniasque, quæ horum causa relictæ sunt, exigat, singulis mensibus Episcopo rationem redditurus qualiter pijs dispositionibus satisfactum fuerit, cæterasque, quæ Officij sui sunt, diligenter agat, quod si negligens fuerit arbitrio Episcopi puniatur.

Statuitur insuper in eadem Synodo Malaspinæ fol. 7. Vt Sacrista custodiam habeat Sacrorum Vasorum, Vestimentorum Ecclesiæ, & totius Thesauri, munditiæ, &

nitori

nitori Ecclesiæ, & Altarium consulat. Omnia, quæ pertinent ad Diuinum Cultum, præparet.

Habeat in Sacristia tres tabellas, vnam, in qua omnes Missæ, & Officia pro mortuis, & reliqua descripta sint, quæ ex imposito munere, ac onere, quacumque de causa, in Ecclesia celebrari oporteat.

Aliam, in qua vniuscuiusque Dignitatis, Canonicatus, Præbendæ, Cappellæ, Altaris, seu alterius Beneficij, & officij causa, in Missis, & alijs Diuinis Officijs obeundis, debita munera contineantur.

Tertiam à Primicerio, & Archipræsbytero, vna cum Magistro Cæremoniarum, vnaquaque hebdomada conficiendam, Missarum conuentualium, & eorum qui illas cantaturi sint, & de Ministris seruituri. Nullatenus permittat, vt quis Sacris Vestibus induatur, nisi cum ei statim Missa cælebranda sit. Qui primò, secundò, vel tertio loco, & deinceps Missam celebrare debeat, ordinem seruabit.

De Diuino Officio, & Horis Canonicis.

C A P. XIV.

Omnes Dignitates, & Canonici per se ipsos horas Canonicas cantare tenentur, nec possunt à Choro discedere, nisi toto Officio completo, quod si quis sine vrgenti necessitate discesserit, pro absente habendus est.

Qui Canonicus, Dignitas, vel aliàs Chori officio adscrip-

adſcriptus, almutia, ſuperpelliceo, aut alio proprij ſui Ordinis veſtimento pro temporis, & Officij, quod obit, ratione, non indutus acceſſerit, diſtributiones illius horæ, vel horarum, cui, vel quibus ſine proprio indumento adfuerit, amittat.

Porrò Decretis primæ Synodi Epiſcopi Sacchetti fol. 17. inhærentes, ſtatuimus, vt Dignitates, Canonici, omneſque alij Sacerdotes, & Clerici, qui ad horas Canonicas perſoluendas, tam in Cathedrali, quam in Parochialibus Eccleſijs Ciuitatis, & Diœceſis, quouis iure, vel de conſuetudine tenentur ad Campanæ ſignum conueniant, interpoſitaque aliqua mora, poſt vltimum ſignum, Cottis, & Almutijs reſpectiue induti, progrediantur è Sacriſtia, omni qua decet modeſtia, factaque genufleſſione ad Altare maius, Chorum ingrediantur, vbi quiſque ſuum ſtallum, ſeù locum petat, datoque poſt breuem Orationem ſigno à Præfecto Chori, vel maiore, Hebdomadarius Officium inchoet, omneſque cantent, alta, & conſona voce, diſtinctè, & deuotè, conſiſtentes, pauſamque facientes in medio cuiuſque verſiculi pſalmorum, neque altera pars Chori, niſi per aliam finito verſiculo, reaſſumat ſequentia; Quæ recitat, aut canit, quiſque ex libro ſibi parato legat, non ex memoria depromat, etiam ſi memoria teneat, alioquin obligationi ſuæ non ſatisfaciat.

Horis, qua decet reuerentia ac deuotione completis, & abſolutis, paululum omnes orent in Choro, deinde recedendi ſigno dato, omnes aſſurgant, & quo ordine ad Chorum acceſſerunt, eodem in Sacriſtiam redeant, vbi Almutias, & Suppellicea, ſeu Cottas reſpectiuè ſine vllo ſtrepitu, & ſine ſuſurratione deponant.

Declaramus, celebrantes in Eccleſia, dum recitatur Officium, legitima ceſſante cauſa à Præfecto Chori approban-

probanda, non intelligi præsentes illis horis, de quorum tempore, missa cælebratur neque illarum distributiones accipere posse.

Prohibemus sub pæna Iuliorum decem, qualibet vice, omnibus, & singulis, Dignitatibus, Canonicis, Beneficiatis, Archipræsbyteris, Præsbyteris, & Clericis, in qualibet Ecclesia participantibus, deambulare, vel sedere, ante, vel per triginta passus propè; Cathedralem, vel propriam cuiusque Ecclesiam, dum cantantur, seu recitantur, M-tutinum, aliæque horæ, Vespere, ac Completorium, declarantes super hoc procedi posse per inquisitionem, & pro exigenda pæna prædicta sufficere vnius testis depositionem.

De quotidianis distributionibus.

C A P. XV.

CVm ob tenuitatem præbendarum Canonicalium, hucusque non potuerit, nec possit exequi dispositio Sac. Conc. Tridentini, de dismembranda tertia parte fructuum ex præbendis prouenientium, illaque applicanda quotidianis distributionibus; Nos ijsdem distributionibus applicamus, & assignamus omnes decimas, tam personales, quam reales, tritici, ordei, fabarum, ac musti, atque etiam concordatàs cum Excellentissima Domo D. Principis Sancti Seueri, siue anticipatè, siue posticipatè soluantur, & exigantur, ex quibus decimis omnibus volumus detrahi puncta-

tiones,

tiones, iuxta dispoſita in anterioribus Synodis, & conſuetudinem:

De Punctationibus, & Punctatoribus.

C A P. XVI.

IN Eccleſia Cathedrali conſtitui debent duo Punctatores, alter ab Epiſcopo, & alter à Capitulo, iuxta diſpoſitionem Synodalem Malaſpinæ fol. 12. qui iuramentum de fideliter exercendo præſtare debent in manu Epiſcopi, & ſi aliquem iniuſtè puntauerint, vel punctare omiſerint, de proprio ſatisfaciant, & integras vnius hebdomadæ diſtributiones amittant, libri punctationum diligenter cuſtodiantur, & quoties Epiſcopo viſum fuerit, eidem exhibeantur.

Qui per menſem integrum ſine legitima cauſa abeſt à ſeruitio Chori, non ſolum amittat diſtributiones, & decimas, iuxta concluſionem capitularem ſub die 21. Martij 1649. verum etiam funeralia, & Anniuerſaria, vt dicemus inferius.

Qui pro maiori parte Quadrageſimę, legitima ceſſante cauſa à Pręfecto Chori approbanda, non frequentat Chorum, non participat de decimis tritici, olei, & alijs, iuxta concluſionem Capituli ſub die 21. Auguſti 1609. & 10. Apriiis 1615.

In Feſtiuitatibus Sancti Antonij, & Sanctę Marię ad Niues, participant de emolumentis illi tantum, qui aſſiſtunt primis Veſperis, & duabus Miſſis, feſtiuitatis, &

Anni-

Anniuerſarij, qui verò alicui ex ipſis non intereſt,non participat de emolumentis, vt habetur in concluſione Capitulari ſub die 15. Aprilis 1615.

Dignitas, Canonicus, & Beneficiatus durante infirmitate, etiam incurabili, punctari non debet; ſed illi contribuendum de omnibus diſtributionibus, & emolumentis, ordinarijs,& extraordinarijs; iuxta Capitularē diſpoſitionem ſub die 14. Septembris 1612. dumodò ante infirmitatem ſolitus eſſet Chorum frequentare, alias ſecus.

Qnod intelligendum eſt etiam de iniuſtè carceratis, excommunicatis, ſuſpenſis,interdictis &c.vt tunc ſolum non amittant diſtributiones, & emolumenta, quando antè infirmitatem, carcerationem, excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum &c. ſoliti erant Eccleſiam frequentare, alias, ſi non eraut ſoliti, omnia ammittant.

Quo verò ad emolumenta Mortuorum,Funeralium, & Anniuerſariorum, nonnulla ſtatuta fuerunt in concluſionibus capitularibus ſub die 15.Aprilis 1615. Verum quia ex ipſis concluſionibus non eſt ſufficienter prouiſum ſeruitio Dei, & Eccleſiæ, vt conſtat experientia.

Nos Concluſiones ipſas Capitulares, & omnia in eis contenta ſuper hac materia funeralium, & Anniuerſariorum, annullantes, & abrogantes, decernimus, & ſtatuimus, ac deinceps obſeruari volumus, & mandamus, vt nulli Dignitati, Canonico, vel Beneficiato, detur aliqua portio, vel minima,funeralium, exequiarum, & Anniuerſariorum, etiamſi ipſis funeralibus, exequijs, & Anniuerſarijs præſens fuerit, niſi ſaltem per menſem integrum antea, legitima ceſſante cauſa abſentiæ, Chorum frequentauerit, ſub pæna ſuſpen-

 ſionis

sionis à Diuinis, ipso facto incurrendæ ab illis, qui in spretum huius Synodalis Decreti, portionem aliquam prædictis dare ausi fuerint, & reseruata facultate Episcopo, procedendi contra absentes etiam ad priuationem, iuxta dispositionem Sac. Conc. Tridentini.

In reliquis, tam circa quantitatem punctationum, quam circa alia, volumus obseruari statuta in anterioribus Synodis, & antiquam consuetudinem, dummodò hiscè nostris dispositionibus non aduersentur.

De Missarum celebratione.

C A P. XVII

EPiscopo sollenniter cælebrante in Cathedrali, interesse tenentur omnes, & singuli, Dignitates, Canonici, & Beneficiati ipsius Cathedralis, Archipræsbyteri, Præsbyteri, & Clerici, tam in Sacris, quam in minoribus ordinibus constituti, omnium Ecclesiarum Parochialium Ciuitatis, sub pæna carolenorum decem qualibet vice, Seminario applicandorum, quicunque ille sit, qui absuerit, & cuiuscunque Parochiæ, non autem Cathedralis, quorum absentiæ pænas applicamus Sacristiæ eiusdem Cathedralis. Quod si totus absuerit Clerus alicuius Parochialis, mulctetur in viginti quinque scutis applicandis, vt supra, & abesse intelligatur, si Episcopus accedens ab Ecclesiam illos in Choro non inuenerit. Qui quidem Dignitates obtinentes, Canonici, Archipræsbyteri, Præsbyteri, & Clerici omnes teneantur accodere cum veste talari, sub pæna quinque caru-

carolenorum applicandorum, vt ſupra, non improbatis tamen faldilijs hyemali tempore.

Quando verò Epiſcopus aſſiſtit Miſſis in Cathedrali, vel etiam Veſperis, ſiuè cum pluuiali, ſiuè cum cappa, omnes, & ſinguli, Dignitates, Canonici, & Beneficiati, adeſſe teneantur ſub pena trium carolenorum applicandorum vt ſupra.

Dies feſti, in quibus Epiſcopus ſollemniter celebrat, & omnes, vt ſupra adeſſe tenentur, ſunt, Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Epiphaniæ, Feria quinta in Cæna Domini, Paſchæ Reſurrectionis, Pentecoſtes Aſſumptionis B. M. Virginis, Omnium Sanctorum, & Conſecrationis ipſius Epiſcopi, etenim feſtum Aſcenſionis Domini omittitur ob Proceſſionem, quæ ex immemorabili fieri conſueuit; & ſub eadem pæna prohibetur cuicumque recedere antè benedictionem Epiſcopi.

Dies autem feſti, quibus Epiſcopus aſſiſtit Miſſis, & Veſperis arbitrio ſuo, & in quibus Dignitates, Canonici, & Beneficiati, abſentes, pæna trium carolenorum mulctantur, ſunt, Circumciſionis Domini, Purificationis, Annunciationis, & Natiuitatis B. M. V, Matris Dei, Sanctorum Petri, & Pauli, & aliorum Apoſtolorum, ac Sancti Stefani Protomartiris, omnes Dominicæ Aduentus, feria 4. Cinerum, & omnes Dominicæ Quadrageſimæ, feria 2, & 3. poſt feſtum Paſchæ Reſurrectionis, pariter feria 2. & 3. poſt Dominicam Pentecoſtes, Dominica Trinitatis, & in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

Qui Miſſam in Cathedrali decantaturus eſt, ſi ſinè cauſa per Epiſcopum, vel Chori Præfectnm approbanda ſuo muneri defecerit, etiam ſi Dignitate, vel Canonicatu præditus, non ſolum amittat diſtributiones illius

 dici,

dici, sed mulctetur in tribus carolenis applicandis Sacristiæ, & crescente contumacia, ab exercitio sui Ordinis arbitrio Episcopi suspendatur.

Sacerdos primam Missam celebraturus, à Magistro Cæremoniarum instructus, Missæ Sacrificium antè ne faciat, quam ab Episcopo cælebrandi licentiam obtinuerit, sub pæna suspensionis ipso facto incurrendæ.

Nullus Sacerdos, Canonicus, aut Dignitatem obtinens, dum Episcopus cælebrat, vel assistit; exeat ad cælebrandam Missam, nisi data per ipsum Episcopum benedictione, sub pæna arbitrio eiusdem Episcopi.

In Ecclesia Cathedrali duæ Missæ ad summum, nisi necessitas aliter vrgeat, eodem tempore cælebrari possint, in alijs verò Ecclesijs, tam Ciuitatis, quam Diæcesis, nunquam duæ Missæ eodem tempore cælebrentur, neque alter Sacerdos exeat ad cælebrandam Missam, nisi præcedens in totum completa sit, sub pæna amissionis stipendij, seù eleemosinæ eiusdem Missæ, & alia pariter arbitrio Episcopi.

In acceptandis Missarum oneribus perpetuis seruetur omninò, & ad vnguem, dispositio Bullæ de cælebratione Missarum.

Vago, & ignoto Sacerdoti cælebrare non liceat in nostra Ciuitate, vel Diæcesi, nisi recognitis ab Episcopo, vel generali Vicariò, litteris comendatitijs proprij Ordinarij, sub pæna suspensionis, tam celebrantibus, quam admittentibus.

In Ecclesia Cathedrali, & alijs Ecclesijs Parochialibus Ciuitatis, & Diæcesis, nullæ cælebrentur Missæ priuatæ in Altari maiori, dum cantatur, vel recitatur officium.

Legata manualia, quæ deinceps fieri contingerit Capitulo Cathedralis, vel alicui ex Cleris Ecclesiarum

Ciuita-

Ciuitatis, vel Diæcesis pro cælebratione Missarum, inhibemus, & sub pæna suspensionis à Diuinis, ipso facto incurrendæ, prohibemus recipi, & diuidi inter singulos Canonicos, & Sacerdotes respectiuè, sed mandamus exigi, & solui in manibus Canonici Deputati à Capitulo, & Sacerdotis pariter deputati à suo Clero, qui teneantur habere libros, in quibus se subscribant cælebrantes, cum mentione vacantiæ, ita vt, si aliquis ex dictis Deputatis eleemosinam dederit alicui Sacerdoti, cuiuscumque Dignitatis, gradus, vel conditionis, qui non celebrauerit, vel non se subscripserit in dicto libro, aut se subscripserit sine mentione vacantiæ, talis eleemosina non habeatur soluta de legato, sed de pecunia ipsius Deputati.

In reliquis circa Missarum cælebrationem, confirmamus omnia statuta in Synodis Malaspinæ fol. 18. prima Sacchetti fol. 8. & 2. fol. 3. Seueroli fol. 8. Densæ fol. 17. fortunati fol. 10. & 2. nostra fol. 5. quæ his non aduersantur.

De Parochialibus Ecclesijs.

C A P. XVIII.

QVæcumque statuta sunt de Cathedrali circa Diuinum Officium, Missarum cælebrationem, & alia, respectiuè, seruanda sunt etiam in Ecclesijs Parochialibus Ciuitatis, & Diæcesis, iuxta dispositionem Synodalem Episcopi Malaspinæ de anno 1598. Sic etiam in qualibet ipsarum eligendus est Cæremoniarum Magister, qui vna cum Archipræsbytero, chorum dirigat;

Eligen-

eligendi sunt Punctatores, qui iurent de fideliter exercendo, item Sacrista, qui circa tabellas, Missarum celebrationem, munerum, & onerum satisfactionem, eadem, quæ in Cathedrali seruare teneantur.

Præfectus Chori sit quilibet Archipræsbyter in sua Ecclesia, qui eadem adimplere teneatur, & valeat, quæ Primicerius in Cathedrali.

Officium hebdomodarij exerceatur, & Missa conuentualis celebretur per turnum, & hebdomadam, ac quilibet per se ipsum, nec possit alteri demandari sub ijsdem pænis, quæ statuta sunt in Cathedrali.

Officium Diaconi, & Subdiaconi, deficientibus Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, pariter exerceatur per turnum, ab omnibus Sacerdotibus, etiam non participantibus, demptis Archipræsbyteris, hoc modo. Qui cantauit Missam vno die festo, in sequenti faciat officium Diaconi, & in subsequenti Officium Subdiaconi, deindè quando erit in turno, iterum Missam cantet, postea faciat Officium Diaconi, & Subdiaconi, & sic deinceps, sub pæna trium carolenorum qualibet vice Ecclesiæ applicandorum. Quoad funeralia, Exequias, & Anniuersaria, statuimus, & omninò seruari volumus, sicut in Cathedrali, vt qui per mensem integrum antè non frequentauerit Ecclesiam, nihil de dictis funeribus, Exequijs, & Anniuersarijs, percipere possit, etiam si processionibus funeralium, exequijs, & Anniuersarijs interfuerit.

Sicuti etiam quoad punctationes eadem obseruari volumus, quæ in Cathedrali, quas omnes in quacunq; Ecclesia applicamus reparationi, & manutentioni eiusdem Ecclesiæ.

Officium Procuratoris, sicuti in Cathedrali non exercetur à Dignitatibus, sic in qualibet Parochiali Ci-

uitatis,

nitatis, vel Diæcesis, nolumus exerceri ab Archipræsbyteris, sed à Præsbyteris participantibus per turnum.

Præsenti Decreto, statuimus, & ordinamus, vt in subrogationibus faciendis ad participationem in dictis Ecclesijs Parochialibus Ciuitatis, & Diæcesis, de Clericis, vel Præsbyteris aggregatis, & aggregandis in futurum in locum Sacerdotum participantium, cedentium vel decedentium, illi, qui subrogari prætendunt, examinari debeant coram Episcopo, super cantu Gregoriano, super functionibus Ecclesiasticis, ac super rubricis Missalis, & Breuiarij, ad hoc, vt ipse Episcopus, secundum suam prudentiam, iudicare possit, an sint subrogatione digni; Volentes, vt secundum præsentem dispositionem, intelligantur quæcumque super huiusmodi materia ab Antecessoribus nostris, & à Nobis in Synodis, & extra, statuta fuerunt. Quæ omnia in reliquis confirmamus, præsertim, quod pro obtinenda subrogatione, aggregatio, saltem per mensem præcedere debeat vacationem loci, ad quem facienda est subrogatio, & quod omnes aggregationes intra triduum, postquam obtentæ fuerint, in Cancellaria gratis registrari debeant. Quod si de tempore vacationis alicuius loci, tam in Ciuitate, quam in Diæcesi, nullus reperiatur aggregatus ad formam prædictam in illa Ecclesia, vel aggregati ab Examinatoribus iudicentur inhabiles, Episcopus pro illa vice liberè prouidere possit. Quo verò ad Sacerdotes in Ecclesijs Parochialibus prædictis Ciuitatis, & Diæcesis, & singulis earum de præsenti participantes, nisi in prima visitatione anno proximo facienda in supradictis cantu Gregoriano, functionibus Ecclesiasticis, & rubricis Missalis, ac Breuiarij pro necessitate instructi, & eruditi inuenti fuerint, illos tamquam

quam seruitio Dei, & Ecclesiæ inutiles, participatione omnium emolumentorum, donec se idoneos probauerint, suspensos esse decernimus.

Cæterum, cum participationes in Ecclesijs Parochialibus Ciuitatis, & Diœcesis, non sint beneficia, nec dentur in titulum, sed sint pura seruitia, & simplex ius percipiendi emolumenta ratione seruitij, declaramus non habere locum disposita in Sac. Concilio Trid. sess. 24. de reformat. cap. 12. de ordine, & forma procedendi contra absentes ad priuationem; ac propterea, si quis, sine iusta causa approbanda ab Episcopo, non per tres menses, vt dictum fuit in anteriori Synodo, sed per annum integrum, vt statuitur in Visitatione Episcopi Caputo de anno 1618. quando Ecclesias huius Ciuitatis, de non numeratis, numeratas fecit, abfuerit, intelligatur cessisse iuri suo, eiusque locus, & participatio, præmissis citationibus ad dicendum causam &c. alteri concedi possit. Nisi tamen ageretur de ordinato ad eius titulum, quia tunc alia via contra absentem procedendum erit.

Inter Parochiales Ecclesias primum locum, post Cathedralem, obtinet Ecclesia S. Seuerini, receptiua pro vno Archipresbytero, & sex alijs Presbyteris participantibus, qui Archipresbyter ratione curę Animarum habet tertiam partem decimarum, & obuentionum plusquam alij Presbyteri. In Visitatione de anno 1591. dicitur consecrata ex eo, quia polluta sanguine fuit benedicta ab Episcopo.

Habet assignatam dotem pro reparatione, cui applicantur etiam punctationes, & si hæ non sufficiant, quilibet Presbyter tenetur ad ratam pro æquali portione, vt statuitur in Visitatione Episcopi Caputi.

Huic Parochiali vnitæ sunt aliæ tres Ecclesiæ, gran-

cię

ciæ nuncupatæ, videlicet Ecclesia Sanctæ Mariæ gratiarum extra mænia; Ecclesia Sanctæ Crucis, in qua erecta est Confraternitas sub eodem titulo, & Ecclesia Sanctæ Mariæ Pietatis, necnon Cappella, seù Oratorium Confraternitatis mortuorum eidem Ecclesię contiguum.

Secundum locum post Cathedralem, obtinet Ecclesia Parochialis Sancti Nicolai, quæ est receptiua pro vno Archipręsbytero, & sex alijs Præsbyteris participantibus, qui Archipręsbyter ratione curę Animarum habet tertiam partem plusquam alij Sacerdotes de omnibus fructibus, obuentionibus, emolumentis &c.

Huic Parochiali vnitæ sunt duæ aliæ Ecclesiæ, seù publica Oratoria, videlicet Sancti Onufrij, in quo erecta est Confraternitas sub eodem titulo, & Ædiculà Sancti Donati, ad cuius reparationem tenentur possessores domus Camilli Coraldi, vt constat ex Visitatione Episcopi Malaspinæ de anno 1591.

Tertium locum obtinet Ecclesia Sancti Ioannis, receptiua pro vno Archipresbytero, & septem alijs Præsbyteris participantibus, qui Archipresbyter ratione Curæ Animarum habet tertiam partem fructuum, & Introituum plusquam alij Præsbyteri.

Habet vnitam Ecclesiam Sancti Sebastiani extra męnia, quantum scilicet se extendunt muri interiores ipsius Ecclesiæ, cum nonnullis bonis, oneribus legatorum grauatis, prout ex concordia inita cum Seminario de Anno 1679.

De Ecclesia, & Monasterio Monialium.

CAP. XIX.

ECclesia, & Monasterium Monialium sunt intra fines Ecclesiæ Parochialis Sancti Seuerini, cuius Archipresbyter in solemnitatibus cum suo Clero Missam, & Vesperas cantat.

Moniales profitentur Regulam Sancti Benedicti, horasque diuinas recitant sub eodem ritu, subsunt tamen omnimodæ iurisdictioni Episcopi.

Quando Episcopus visitat, cum ipso Monasterium ingrediuntur, Magister Iuratus, & Procurator secularis eiusdem Monasterij, electus à Ciuitate, ex antiquissima consuetudine, vt constat ex Visitatione de Anno 1591.

Harum Monialium regularari disciplinæ, & obseruantiæ prouisum est in Synodis Antecessorum, & signanter Malaspinæ fol. 27. vbi statuitur, quod nulla Monialis ambiat, & directè, vel indirectè procuret officia, sub pęna arbitrio Episcopi, sed omnes vnanimiter propria voluntate deposita, solum Deum, & vtilitatem Monasterij, ac Monialium prè oculis habentes, eas ad officia, & honores eligant, quæ sibi magis dignæ videbuntur.

In prima Synodo Episcopi Sacchetti fol. 30. præcipitur sub pęna Excommunicationis latæ sententiæ, Episcopo reseruatæ, nè qua persona, cuiuscumque

status,

ſtatus, gradus, & conditionis, Secularis, vel Eccleſiaſtica, aut Regularis, Moniales, aut Puellas in Monaſterio exiſtentes, alloquatur, niſi obtenta licentia in ſcriptis ab Epiſcopo, vel eius Vicario generali.

Item, quod nullus Sacerdos Sæcularis, vel cuiuſuis Ordinis Regularis in Eccleſia eiuſdem Monaſterij cælebret abſque licentia Epiſcopi, ſub pęna ſuſpentionis ipſo facto incurrendæ.

In ſecunda Synodo eiuſdem Epiſcopi Sacchetti fol. 13. ſtatuitur, Moniales habere debere communem arcam cum tribus clauibus, quarum vna ſit pęnes Abbatiſſam, alia pęnes Depoſitariam, tertia pęnes Seniorem, in qua reponantur pecuniæ, quæ ad Moniales, vel ex artificio, & labore, vel à Conſanguineis donatæ, vel ex redditibus, quos ſibi profeſſionis tempore reſeruauerint, aut vndecumque prouenerint, ſub nomine illarum Monialium, quæ pecunias prædictas acquiſiuerint. Quarum pecuniarum diſtributio per Abbatiſſam primum fiat, ac fieri debeat pro neceſſitatibus illius Monialis, cuius intuitu pecunię acquiſitę fuernnt. Superfluum verò expendi poſſit in vrgentes, & communes Monaſterij neceſſitates; Propterea nulli Monialium poteſtatem faciat Abbatiſſa pęnes ſe retinendi pecunias ſub pęna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ per triennium; ideòque ter in anno teneatur per ſe ipſam, vel per Vicariam, Cameras, & arcas Monialium, diligenter perquirere, & ſi quam Monialem proprietariam inuenerit, id Epiſcopo referat, qui contra eandem, prout Inris fuerit, procedet.

A nulla Monialium vendatur, donetur, commodetur, vel mutuetur quicquam ſinè licentia Abbatiſſæ ſub pęna proprietatis, & priuationis veli per menſem.

Eligatur Præfecta Rotæ, seù Auscultatrix, quæ Moniales non aduocet ad collocutorium, nisi prius monita Abbatissa, & eidem ostensa licentia in scriptis, vbi requiritur. Munera, literas, & alia, quæ ad Moniales mittuntur, prius Abbatissæ consignentur, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ.

Cęterum confirmamus quæcumque alia contenta in supradictis, & alijs Synodis, videlicet Seueroli fol. 20. Densæ fol. 30. & Fortunati fol. 25.

Sicuti confirmamus, & obseruari volumus Decreta à Nobis edita super vita communi, & ipsis Monialibus intimata, sub pęnis ibidem appositis, præsertim contra Abbatissam, & Procuratorem, si alicui Moniali quicquam, etiam minimum, dederint separatim comedendum, excepto casu infirmitatis, & de Mandato Medici.

De Ecclesijs Diœcesis.

C A P. XX.

Ecclesia Sancti Nicolai est Matrix in Terra Turris maioris, Parochialis, & receptiua pro vno Archipresbytero, & nouem alijs Præsbyteris participantibus, qui Archipresbyter ratione Curæ Animarum habet quandam veluti præbendam, ex qua nonnulla percipit emolumenta, adestque in dicta Ecclesia Confraternitas sub eodem titulo Sancti Nicolai.

Huic Matrici vnita est Ecclesia Sancti Antonij Viennen̄, in qua cælebrantur tres Missæ per Hebdomadam.

Eccle-

Ecclesia Sanctæ Mariæ de Strata in eadem Terra Turris maioris est Parochialis, & receptiua pro vno Archipresbytero, & septem alijs Præsbyteris participantibus.

Eidem Parochiali vnitum est Hospitale cum Ecclesio Sancti Iacobi, in quo Hospitale recipiuntur, & curantur infirmi.

Item vnitum est Oratorium, seù Cappella mortuorum, eidem Parochiali contigua.

Necnon Ecclesia Sancti Sabini, & Sanctæ Mariæ de Laureto extra mænia, quæ paruam, & ferè nullam habent dotem, sed in ijs interdum cælebratur ad satisfaciendum pijs fidelium oblationibus.

In Terra Sancti Pauli Ecclesia Parochialis dicata Sancto Ioanni Baptistæ, est Iurispatronatus Illustrium de Gonzaga eiusdem Terræ Dominorum, ex dotatione, vt constat ex actis existentibus in Archiuio Curiæ Episcopalis. In eadem Ecclesia vltra Archipresbyterum, inseruiunt duo alij Sacerdotes, qui soluuntur à Communitate, sed deputantur ab Episcopo, vt exprefsè legitur in Visitatione Episcopi Caputo de anno 1615.

Vltra Parochialem in eadem Terra, tres aliæ numerantur Ecclesiæ, videlicet Sancti Nicolai intra mænia, Sancti Pauli alias greci ritus, & Sanctę Mariæ Belmontis extra mænia.

De Sc-

De Seminario.

CAP. XXI.

SEminariſtæ ſubſunt correctioni Rectoris Seminarij, & Præfecti Scolarum, qui quandocumque fuerit de gremio Capituli, debet etiam eorum curam gerere in Choro, circa ea, quæ ad Diuinum Officium pertinent. Quo vero ad ſeruitium Epiſcopi cælebrantis, vel aſſiſtentis, munus, & officium vnicuique aſſignari debet à Cæremoniarum Magiſtro.

In Proceſſionibus locum habere debent ſuper omnes alios Clericos, tam in Sacris, quam in minoribus Ordinibus conſtitutos.

Ad nullas functiones accedant extra Cathedralem, niſi vbi accedit totum Capitulum ipſius Cathedralis.

In reliquismandamus obſeruari ſtatuta in Sac. Concil. Trid. & in Conſtitutionibus, ſeù regulis à Nobis editis, & in alia noſtra Synodo confirmatis, & taxam pariter in dicta noſtra Synodo confirmatam.

De Eccleſiarum, & Altarium decore.

CAP. XXII.

DEcretis Apoſtolicis, ac Synodalibus inhærentes, Eccleſias, Cappellas, & Altaria prohibemus edifi-

edificari, nisi prius congruè iudicio Episcopi dotatæ, seù dotata fuerint.

Prohibemus in Ecclesijs deambulationes, armorum delationem, præter ensem, vana, & profana colloquia, ac negotia, præsertim cum Diuina Officia cælebrantur, aut verbum Dei prædicatur.

Prohibemus pariter propè Ecclesiam proijci sordes cuiuscumque generis, stabula, & huiusmodi, habitare Meretrices per quadraginta passus circum circa, & prospectus in Ecclesias ex domibus Sæcularium.

Mandamus omnes Ecclesiarum fenestras claudi, saltem tela cerata, ad imbres, ventos, auesque nè intrent, arcendos.

Mandamus pauimentum Ecclesiarum mundari semel in hebdomada, & parietes semel in mense à puluere, telis aranearum, & alijs immunditijs..

Confugientes ad Ecclesiam nolumus vltra tres dies à Clericis retineri, imò si delictum id exigat, statim licentiari, nisi Episcopus aliter iudicauerit.

Cantus Musici in Ecclesijs pij sint, ac deuoti, graues, & modesti, neque adhibeantur alia verba, quam Sacræ Scripturæ, & quæ Ecclesia adhibere solet in Missis, aut officio currentium festorum.

In reliquis, quæ ad Ecclesiarum, & Altarium honorem, decorem, & reuerentiam pertinent, confirmamus, innouamus, & obseruari mandamus, omnia statuta in Synodis, Densæ fol. 6. & 7. Fortunati fol. 15. & prima nostra fol. 10.

De Pa-

De Parochis, & eorum residentia.

C A P. XXIII.

MAndamus à Parochis Populum frequenter hortari, vt quilibet in sua Parochia, festis diebus Missam solemnem audire, non omittant; ipsique inter Missarum solemnia, dies festos de præcepto, vel laudabili consuetudine receptos, vigiliasque, ac ieiunia per hebdomadam occurrentia pręcedenti die Dominico denuncient.

Pręcipimus item, & mandamus, vt Parochialem Ecclesiam deserere, aut extra Ciuitatem, vel Oppidum pernoctare, sinè licentia Episcopi in scriptis, non audeant, sub pęna suspensionis ipso facto incurrenda.

Parochi extra Ciuitatem (quia in Ciuitate hoc munus iniunctum est Canonico Theologo) singulis diebus Dominicis, inter Missarum solemnia, sermonem habeant ad Populum, in quo lingua vernacula explicent, quæ ad vitia fugienda, virtutes sectandas, & ad Animarum salutem pertinent, sumendo, præsertim discursum ab Euangelio, vel Epistola illius dici.

Confirmamus præterea, innouamus, & obseruari volumus, & mandamus omnia, & singula Statuta in Synodis, Malaspinæ fol. 13. Seueroli fol. 17. Densæ fol. 21. & Fortunati fol. 23.

De Sacramentis.

CAP. XXIV.

PRo recta Sacramentorum administratione, mandamus, à Parochis sepius perlegi, ac memoriæ mandari, quæcumque scripta, ac præscripta sunt in Rituali Romano; ità vt, si aliquis Parochus in Visitatione coram Episcopo, & Visitatoribus, vel extra visitationem coram Examinatoribus Synodalibus respondere nesciat super quocumque interrogari contingerit, puniatur pęna viginti quinque scutorum, & ab Officio, cum deputatione substituti eius impensis, donec se huic Decreto satisfecisse docuerit, suspendatur.

In Administratione Sacramentorum, Baptismi, Eucaristiæ, Pęnitentiæ, tam sanis, quam ægris, Matrimonij, Extremæ Vnctionis, atque Infirmorum Curæ, omninò seruari volumus, & mandamus formam, & dispositionem eiusdem Ritualis Romani, tam in rubro, quam in nigro, sub eadem pęna viginti quinque scutorum, ad eandem formam, & dispositionem Ritualis, prædicti, reducentes quæcumque ab Antecessoribus nostris in eorum Synodis, & extra, à Nobis super huiusmodi Sacramentorum administratione statuta fuerunt.

In ijs, quæ pertinent ad collationem, & receptionem Sacramenti Confirmationis, satis prouisum est in Pontificali Romano.

Quo verò ad Sacramentum Ordinis, maioribus, vel minoribus Ordinibus initiandi, litteras testimoniales

 alio-

aliorum Ordinum proximè susceptorum, necnon fidem de vita, & moribus, de exercitio in functionibus, de Tonsura, & habitu gestato, de Communione temporibus statutis in Synodis Diœcesanis, deque Doctrina Christiana, ac frequentatione Scholæ, testimonium ferant.

Patrimonium pro Subdiaconatu in hac Ciuitate, & Diœcesi Sancti Seueri sufficiat annui redditus scutorum viginti quinque monetæ Regni, quod tamen constitui debet super rè certa, libera, & fructifera.

Patrimonia, & Donationes, etiam inter viuos, cuiuscumque generis stabilium, quæ factæ fuerint, vel fieri contigerit Clericis, à Parentibus, coniunctis, vel extraneis personis, quocumque titulo, nolumus gaudere exemptione, nisi à die susceptionis Sacri Subdiaconatus Ordinis, & pro tempore, quo quis in Seminario steterit.

Ad Subdiaconatum non ordinentur ad titulum patrimonij, qui saltem per triennium in Seminario non steterint, nisi aliter Episcopo visum fuerit; qui verò per triennium in Seminario laudabiliter se gesserit, in humanioribus literis, & Cantu Gregoriano optimè versatus, vtilis Ecclesiæ iudicetur, ordinari possit ad titulum loci Ecclesiæ, in qua receptus, & aggregatus fuit, etiam si tunc temporis, non sit actu participans.

Matrimonium domi de licentia cælebrantibus, sub pęna Excommunicationis Episcopo reseruatæ prohibemus, se matrimonialiter cognoscere, antequam in Ecclesia Parochiali Missæ ab Ecclesia, ad hoc institutæ, interfuerint, & benedictionem ad formam eiusdem Ritualis receperint.

Pro cuius obseruantia, licentiæ de cælebrando matrimonio in domibus deinceps non concedantur, nisi in scri-

in scriptis, & cum hac clausula, Seruata forma Decreti Synodalis.

In reliquis, quoad pęnas ingredientium ad Sponsas antè celebrationem Matrimonij, confirmamus omnia, & singula, ab Antecessoribus nostris in eorum Synodis constituta.

De Doctrina Christiana.

C A P. XXV.

IN qualibet Ecclesia Parochiali, singulis Dominicis, & alijs Festis diebus post prandium, detur Campanæ signum, ad hoc, vt Populus, & præsertim pueri, in Ecclesiam conueniant, vbi rudimenta fidei, & quæ ad Christianam Doctrinam pertinent, edoceantur.

Ad instruendum verò pueros in prędictis, teneri volumus, non solum Parochos, sed etiam alios Sacerdotes, quemlibet in sua Parochia per turnum, ità tamen, vt Archipręsayteri semper assistant; ex alijs verò Sacerdotibus, duos singulis diebus Festis; Clericos autem, tam in Sacris, quam in minoribus Ordinibus constitutos, volumus, & mandamus, semper adesse, vel ad docendum, vel ad discendum, prout Parochus, opus esse, expedire cognouerit, sub pęna inhabilitatis, ascendendi ad vlteriores Ordines; alijs verò arbitrio Episcopi. Quapropter mandamus ijsdem Parochis, vt in fine cuiuslibet mensis deferant Episcopo notulam Clericorum, & Sacerdotum, qui Doctrinæ Christianę, prę-

præſentes, vel abſentes fuerunt, ſub pęna pariter Epiſcopo arbitraria.

Cęterum confirmamus, & innouamus omnia contenta in Synodis, ſecnnda Sacchetti fol. 1. Seueroli fol. 2. Denſæ fol. 4. Fortunati fol. 2. & prima noſtra fol. 3. quæ obſeruari mandamus ſub pęnis ibidem appoſitis.

Specialiter autem confirmamus, & innouamus, quod ſtatuitur in prædicta hoſtra Synodo fol. 3. vbi prohibetur quibuſcumque Parochis, tam Ciuitatis, quam Diœceſis, ſub pęna ſuſpenſionis, aſſiſtere matrimonijs eorum, qui neſciunt infraſcripta, ijſdemque Parochis, atque alijs Confeſſarijs Sæcularibus, & cuiuſuis Ordinis Regularibus, abſoluere quandocumque pro ſatisfactione præcepti paſchalis pęnitentes, qui ignorant, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, præcepta Dominica, Symbolum Apoſtolorum, præcepta Eccleſiæ, vitia Capitalia, Virtutes Theologales, & Cardinales, atque opera miſericordiæ, ſub eadem pęna ſuſpenſionis, niſi tamen ageretur de ignorantia inuincibili, ſuper quo cuiuſque Confeſſarij in ſpeciali conſcientiam oneramus.

De Prędicatione Verbi Dei.

C A P. XXVI.

COnfirmamus pariter, & innouamus omnia, & ſingula contenta in Synodis Malaſpinæ fol. 12. Seueroli fol. 2. Denſæ fol. 3. Fortunati fol. 3. prima noſtra fol. 4. & 2. fol. 6. præſertim quod nullus Concionator

nator Sęcularis, vel cuiusuis Ordinis Regularis, audeat prædicare in aliqua Ecclesia, quæcumque illa sit, Ciuitatis, vel Diœcesis, etiam Regularium, etiam Cathedrali, pòst solis occasum, inquacũq; die, etiam feria quinta, vel festa maioris hebdomadæ, sub pęna suspensionis ipso facto incurrendæ, tam ipsi Concionatori, quam Sacristæ maiori, seù cuilibet alio, cui horam Concionis determinare incumbit.

De Processionibus.

CAP. XXVII.

STatuimus, & Ordinamus, vt in Processione, quæ fit per Vrbem in die solemnitatis Sanctissimi Corporis Chtisti, hastæ Baldachini non deferantur, nisi à personis, decenter, & honestè indutis, & si fieri potest, nisi à Primoribus Ciuitatis, incipiendo, & finiendo à Dominis, Gubernatore, & Magistratu, iuxta consuetudinem, ad quem finem, singulis annis in Dominica Sanctissimæ Trinitatis à Reuerendo Cęremoniarum Magistro, vna cum Magistratu fiat schedula personarum, quæ hastas huiusmodi sint delaturæ, ipsique Magistratui curæ sit, vt ad processionem accedant, qui notati fuerunt, & vsque ad finem perseuerent, incedendo immediatè post Baldachinum, dictaque schedula ad Episcopum deferatur, qui nisi Sęculares sufficiant, de personis Ecclesiasticis, quę per totam Processionem omnes hastas deferant, prouidebit.

Ad obuiandum verò differentijs, quæ super præcedentia oriri possent, declaramus nulli personæ cuiuscum-

cumque statūs, ætatis, gradus, & conditionis, etiam si pluries in præstantiori loco hastam detulerit, aliquod Ius ad eundem, vel alium locum, & hastam acquiri posse.

Item statuimus, & ordinamus, vt in qualibet Parochia Ciuitatis, & Dięcesis infra octauam eiusdem Solemnitatis Corporis Christi, fiat processio, sub pęna viginti quinque scutorum pijs vsibus applicandorum.

Statuimus item, & decernimus, intra eandem Octauam, licere omnibus Regularibus, tam intra, quam extra Ciuitatem, facere Processionem Sanctissimi Corporis Christi in diebus vacuis à processionibus Parochialium circa eorum Monasteria, vel Conuentus per viam de consensu Parochi, seù Parochorum, semel eligendam.

In reliquis confirmamus, & innouamus omnia disposita in Synodis, prima Sacchetti fol. 20. & 2. fol. 9. Seueroli fol. 16. Densæ fol. 25. Fortunati fol. 3. & prima nostra fol. 2. quæ omninò volumus obseruari, sub pęnis ibidem comminatis.

De Festorum dierum cultu.

C A P. XXVIII.

Licet Festorum dierum obseruatio, quoad substantiam sit de præcepto diuino, & quoad modum, satis prouisum extiterit à Prædecessoribus nostris, quorum Decreta in eorum Synodis emanata confirmamus, & innouamus sub pęnis contentis in ijsdem, atque in prima nostra fol. 4. & secunda fol. 3.

Quia

Quia tamen experientia compertum est, in his Apuliæ partibus reddi quasi impossibile, ab omnibus operibus abstinere, præsertim temporibus messium, trituræ, vindemiarum, ac seminum, Massarijs iniungimus, vt si quando eis indultum fuerit per Edictum publicum in casibus supra positis laborare in diebus Festis, Deo debitas gratias agant, soluendo eleemosinam in manibus Canonici deputati, vel deputandi à Capitulo, quoad Massarios Ciuitatis, quas eleemosinas applicamus Fabricæ, & manutentioni Ecclesiæ, & Sacristiæ Cathedralis; & in manibus Agentis Seminarij, quoad Massarios Diœcesis, cui omnes huiusmodi eleemosinas applicamus.

De Casibus reseruatis.

C A P. XXIX.

Reseruantur nostræ, & Successorum nostrorum absolutioni infrascriptà peccata.

1. Blasphemia in Deum, Beatam Virginem, & Sanctos, etiam pro vnica vice.
2. Homicidium voluntarium, & ex proposito.
3. Abortum quomodolibet procurantes, etiam non secuto effectu.
4. Sacrilegium quomodolibet commissum.
5. Sortilegia, & Demonum inuocationes, cum Excommunicatione annexa:
6. Sacramentis, & Sacramentalibus abutentes, & cum Excommunicatione annexa.
7. Falsum in Iudicio committentes, vel deponentes.

8. Co-

8. Copula inter Sponsos de futuro.

9. Incendiarij, & incisores domorum, & arborum frugiferarum.

10. Decimas non soluentes, & cum Excommunicatione annexa.

11. Notarij, & alij pia legata, vel scripturas ad pias causas infra tres dies à die notitiæ Curiæ Episcopali non reuelantes.

12. Sodomia, Bestialitas, & Incestus intra secundum Consanguinitatis, vel Affinitatis gradum.

13. Paruulorum suffocatio ex qualibet etiam leui causa.

14. Copula inter Spirituali cognatione coniunctos.

De Sacris Reliquijs, & Imaginibus.

C A P. XXX.

NVllæ Sacræ Reliquiæ populo venerandæ proponantur, nisi ab Episcopo recognitæ fuerint, & approbatæ.

Et quæ nomine carent, & authentico, retineri quidem possint in armario, sed non exponi.

Quæ autem recognitæ, & approbatæ fuerunt ab Episcopo, nullatenus deferantur in processionibus, nisi de eiusdem Episcopi licentia.

Imagines turpes, vel prophanæ, nullatenus dipingantur in Ecclesijs, & pijs locis. Imagines verò Sanctorum in habitu, & forma decenti dipingantur.

De Re-

De Regularibus.

CAP. XXXI.

Meminerint Regulares, cuiusuis sint Ordinis, se teneri ad obseruandum Ius diœcesanum, sub pęnis à Iure communi, & in Decretis Apostolicis comminatis; Et quoad causas ciuiles se subesse Iurisdictioni Ordinarij, donec habeant conseruatorem electum, ad formam Constitutionis fel. rec. Gregorij Papæ XV. Sicuti in his, quæ pertinent ad Monialium clausuram, Episcopus ad formam Sacri Concil. Trident. vti Sedis Apostolicę Delegatus contra ipsos procedere potest.

De Funeribus, Exequijs, & Sepulturis.

CAP. XXXII.

INuitati ad funera, & Exequias, siuè Seculares, siuè Regulares fuerint, nullatenus accedere possunt ad domum Defuncti sepeliendi, vel per vias, aut propè aliquam Ecclesiam expectare, sed omninò teneantur accedere ad Ecclesiam Parochialem sepeliendi, & proprium Parochum Defuncti, sub eius Cruce, comitando, ad dictam Defuncti domum accedere, sub pęna contrafacientibus decem scutorum auri in auro.

Prohibemus ſub pęna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ omnibus, & ſingulis Parochis, & ſingularibus perſonis cuiuslibet Cleri, cadauera ſupra terram, vltra viginti quatuor horas relinquere ſub prętextu quod contra conſuetudinem, hæredes funus ſoluere recuſant; ſed omninò volumus intra dictum tempus tradi ſepulturę, quo per ipſos completo, à Vicario Generali detur mandatum executiuum ipſis Parochis, & Cleris, niſi agatur de pauperibus, & miſerabilibus perſonis, quas omninò gratis volumus ſepelliri.

In reliquis confirmamus omnia contenta in Synodis Denſæ fol. 8. & Fortunati fol. 26.

De Sacra Supellectili.

CAP. XXXIII.

DEcreto Synodali Epiſcopi Denſę inhęrentes ſtatuimus vt vnumquodque Altare Sacra Supellectili, ſaltem vt infra, ſit prouiſum, videlicet Cruce cum Crucifixo, quattuor Candelabris, tabella ſecretorum, cum alijs tabellis paruis, pſalmi Lauabo &c. & Euangelij, In principio &c. tribus mappis, duabus videlicet breuioribus, & tertia longiore, quæ vtrumque cornu Altaris vſque ad terram cooperiat, pallijs, ſeù antealtaribus omnium colorum, tela cerulea, ſeù alterius coloris ad puluerem, & ſordes arcendas.

Inſuper amictu, alba, cingulo, caſulis cum manipulis, & Stolis omnium colorum, Calice cum Patena, corporale, & palla, burſa, ſeù burſis ſericeis pariter omnium colorum, peluicula, vrceolis, Miſſale, Campanula,

panula, ſudariolo ad tergendas manus, & ceroforario pro eleuatione; Quibus omnibus, & ſingulis, ſi aliquod Altare, infra ſex menſes, non fuerit prouiſum, nunc pro tunc illud ſuſpenſum declaramus, in illoque celebrare ſub pæna ſuſpenſionis prohibemus.

De Ludimagiſtris.

CAP. XXXIV.

NVllus, ſiuè perſona Eccleſiaſtica ſit, ſiuè Secularis, Scholam aperire, pueroſque litteras, aut ſcientias ędocere præſumat, abſque licentia Epiſcopi in ſcriptis, pręmiſſa prius coram eodem Epiſcopo fidei profeſſione ad formam Conſtitutionis Pij papæ IV. ſub pæna ducatorum triginta, & alia arbitrio Epiſcopi.

Qui verò licentiã huiuſmodi obtinuerint, vltra litteras, ac ſcientias, etiam religionem erga Deum, pietatem erga Parentes, & obſeruantiam erga Superiores, pueros ędocere teneantur.

De Confraternitatibus.

CAP. XXXV.

PRiores, & alij Officiales Confraternitatum, non eligantur, niſi preſente Archipresbytero, qui ſecreta ſuffragia excipiat, alias electio ſit ipſo Iure nulla,

 qui

qui Priores, & Officiales, sic vt supra electi, sint annuales tantum, confirmari debeant ab Episcopo, vel eius Generali Vicario,; In principio sui regiminis Iuramentum de fideliter administrando; & anno expleto rationem eorum administrationis coram eodem Vicario præstare teneantur.

In reliquis verò confirmamus; innouamus, & obseruari mandamus omnia statuta in Synodis, Densæ fol. 26. & Fortunati pariter fol. 26.

De Hereticis, heresi suspectis, & Blasphemis.

C A P. XXXVI.

MAndamus, & expresse præcipimus sub pena Excommunicationis omnibus, & singulis personis, Nobis subiectis, quatenus Nobismet, reuelare, notificare, & denunciare teneantur.

Omnes hæreticos, aut de hæresi diffamatos, & suspectos, ijsque credentes, atque eorum fautores, receptatores, & defensores; & illos, qui expresse, vel tacitè inuocarunt, aut inuocant Demonem, aut eidem honorem præstarunt, & præstant; necnon illos, qui se immiscuerunt, vel immiscent in experimentis magiæ, negromantiæ, incantationum, aut similium superstitionum, præsertim, si rebus Sacris abusi fuerint, & abutantur.

Illos pariter, qui cum Sacerdotes non sint, Missam celebrare ausi fuerint, vel Sacramentum Penitentiæ mini-

ministrare; Sacerdotes item, qui Sacramento Pęnitentiæ contra formam Decretorum, & Constitutionum Apostolicarum abusi fuerint, vel abutantur.

Necnon illos, qui contra Deum, Beatam Virginem Mariam, & Sanctos, blasphemas hæreticales proferunt.

Eos etiam, qui pęnes se retinuerunt, vel retinent libros hæreticorum, vel de Religione tractantes, aut libros magiæ, negromantię, incantationum, sortilegiorum, & similium superstitionum.

Confirmantes igitur per omnia statuta in Synodis, Densæ fol. 28. Fortunati fol. 1. & prima nostra fol. 3.

De Ieiunio Quadragesimali.

C A P. XXXVII.

PRo Ieiunij Quadragesimalis obseruatione, mandamus, à Parochis in Dominica Quinquagesimæ inter Missarum solemnia publicari, nè quis post mediam noctem, quæ diem Cinerum præcedit, cibis prohibitis vescatur, aut personatus incedat, sub pęna arbitrio Episcopi, ad quem finem, signum mediæ noctis Campana pulsetur.

In prima Domenica Quadragesimæ ab ijsdem Parochis, pariter inter Missarum solemnia, publicentur Excommunicationes omnes, Casus reseruati, & Decretum de soluendis Decimis.

Tempore Concionis, etiam in diebus ferialibus, Officinæ claudantur, ac iudiciales sileant strepitus.

Cibi vetiti non exponantur venales ab omnibus, sed

à cer-

à certis personis designandis tantum ; ac cum licentia Episcopi in scriptis.

Ad tollendas verò anxietates, & dubitationes omnes circa quantitatem cibi sumendi in refectiuncula, quæ in diebus Ieiuniorum , de generali consuetudine introducta est, declaramus esse quartam partem Cœnę, seù quartam partem cibi, quam quisque in integra Cęna comederet, de obsonijs tamen.

De Decimis.

C A P. XXXVIII.

CVm vbi æqualis est labor, æquale quoque esse debeat emolumentum, inhibemus sub pęna suspensionis à Diuinis, ipso facto incurrendæ, omnibus, & singulis Ecclesiasticis Ciuitatis,& Dięcesis, habentibus Consanguineos, vel attinentes Sęculares, qui decimas soluere tenentur, nè audeant titulo Compensationis, vel quocumque alio, sinè consensu Capituli, vel totius Cleri propriæ Ecclesię respectiuè,sibi retinere partem, seù portionem Decimarum sibi contingentem, de frumento, ordeo, fabis, aut musto dictorum suorum Consanguineorum, & attinentium, sed omninò relinquant dictos eorum Consanguineos, & attinentes consignare decimam Procuratori Capituli, vel Cleri, & ipsi de manu eiusdem Procuratoris; & de communi massa, dictam eorum partem, & portionem recipiant.

Sub eadem pęna suspensionis, ipso facto incurrendę, prohibemus, & inhibemus omnibus, & singulis Procuratoribus cuiuscumque Cleri, etiam Capituli Cathe-

thedralis, tradere alicui Dignitati, Canonico, Abbati, Archipręsbytero, vel Præsbytero, aliquam, vel minimam partem, seù portionem decimę, vel decimarum, tritici, ordei, fabarum, vel musti, nisi soluta prius, & consignata Episcopo tota quarta, seù medietate, quæ ad ipsum spectat.

In reliquis confirmamus, innouamus, & obseruari mandamus, omnia, & singula statuta in Synodis, prima Sacchetti fol.27. & secunda fol.11. Seueroli fol.22. Densæ fol.34. Fortunati fol.26. quę pręsentibus dispositionibus non aduersantur.

De Archiuio, & Catastro bonorum Ecclesiæ.

CAP. XXXIX.

IN Ecclesia Cathedrali, & in alijs Ecclesijs Parochialibus, & non Parochialibus, Hospitalibus, & quibuslibet locis pijs Ciuitatis, & Diœcesis fiat Catastum, & Inuentarium omnium bonorum, & ponatur in Archiuio, simul cum alijs scripturis, cuius clauis sit pęnes personam magis dignam, & idoneam.

In reliquis confirmamus, & obseruari mandamus omnia statuta in Synodis, prima Sacchetti fol. 26. & 2. fol. 12. Seueroli, fol. 25. Densæ fol. 23. & Fortunati fol. 15.

De Administratione piorum locorum.

CAP. XL.

ADministratio piorum locorum Viris probis per secreta Confratrum suffragia committatur, qui seruare teneantur omnia statuta in Synodis, prima Sacchetti fol. 29. & 2. fol. 12. & Seueroli fol. 24.

De Medicis, & Obstetricibus.

CAP. XLI.

MEdici Constitutionem B. Pij V. de non inuisendis tertia die ægrotis, nisi Confessionem Sacramentalem fecerint, omninò seruare teneantur; Obstetrices Baptismi formam scire teneantur, & obseruare disposita in Synodo Malaspinæ, cap. de Baptismo, versiculo Obstetrices.

De Meretricibus, & Concubinis.

C A P. XLII.

STatuta in Synodo Episcopi Densæ cap. 37. confirmantes, & innouantes prohibemus sub pœna fustigationis omnibus, & quibuslibet meretricibus, habitare propè Ecclesias intra quadraginta passus, & puellas tenere domi sub quocumque prætextu.

Et quia audiuimus malè obseruari prohibitionem factam in dicta Synodo, de non acceptando in Cauponis, & publicis tabernis exteras meretrices, nisi pro vna die, ratione transitus; Volentes, omninò dictam prohibitionem obseruari, mandamus omnibus, & singulis Cauponibus, tabernarijs, atque etiam quibuslibet ciuibus, cuiuscumque status, gradus, & conditionis, sub pæna interdicti ab Ecclesia, Ecclesiasticis verò sub pæna suspensionis à Diuinis, ne dictis meretricibus exteris, domos, aut cubicula locent, neque in tabernis, aut hospitijs recipiant, declarantes in hac materia, etiam nemine accusante, procedi posse per inquisitionem.

De vita, & Honestate Clericorum.

CAP. XLIII.

Dispositâ in anterioribus Synodis innouantes, statuimus, vt nemo Clericorum suspectas mulieres domi retineat, quamuis consanguineas, vel affines, nisi infra secundum gradum, secundum ius canonicum computandum.

Nemo item Clericorum domicilia mulierum frequentet, neuè cum illis conuersetur, quod si quispiam in domo suspectæ mulieris deprehensus fuerit, subiaceat pænæ sex mensium carceris.

Nullus Clericus taxillorum, vel alearum, seu cartarum ludo se immisceat, vel intersit, aut participet cum ludentibus sub pæna decem aureorum, sed neque ludo, vt dicitur della ruzola sub eadem pæna.

Clerici post secundam horam noctis per Ciuitatem non incedant, & si aliquando iusta causa quempiam exire domo compulerit, cum lumine semper exeat, & cum habitu clericali, sub pæna arbitrio Episcopi.

Nemini liceat habitum clericalem assumere, vel gestare sine licentia Episcopi, & post ordinationem, si quis dictum habitum dimiserit sine licentia Episcopi in scriptis, pænam quinquaginta scutorum incurrat.

Nemo Clericorum deferat arma cuiuslibet generis, siuè ad offensam, siuè ad defensam, exceptis paruis cultellis ad incidendum panem, sub pęna viginti quinque

que scutorum, pugionum verò delatores pęnam quinquaginta scutorum incurrant,& sclopetorum, vulgò archibugietti, seu mazzagatti subiaceant, pænæ triennalis exilij, vel centum scutorum arbitrio Episcopi.

Sub eadem pena viginti quinque scutorum prohibemus Clericis omnes venationes, cum sclopetis, siuè cum canibus, vel vbi fiant clamores; venationes verò cum retibus, & cum cornicula, vbi non fiunt clamores, illis permittuntur.

Clerici personati non incedant sub pæna arbitrio Episcopi, a Choreis omninò abstineant sub pæna ducatorum viginti quinqne.

Nullus Clericus, aut Sacerdos, qui non sit laureatus, siuè Archipræsbyter, siuè Canonicus, aut Dignitas, anulum deferat, etiam extra missam; laureatis verò licitum est, sed non in Missa, iuxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis, sub pæna ammissionis anuli, & alia arbitrio Episcopi.

Nullus pariter Sacerdotum, aut Clericorum deferat collare, vel brachialia sericea nigra, vel alterius coloris, sub pæna decem scutorum, sed omnia sint te læ albæ.

Nullus Sacerdos, aut Clericus Sacris initiatus, coram Seculari Iudice Aduocati, vel Procuratoris munus suscipiat, aut causas agat, etiam proprium consanguineorum, attinentium, aut propinquorum, vel miserabilium personarum, sub pæna suspensionis à diuinis ipso facto incurrendæ. Et si aliquis licentiam in scriptis ab Episcopo, comparendi coram Iudice laiço, pro defensione propinquorum, vel miserabilium personarum, obtinuerit, nihil omninò, neque gratitudinis nomine, aut titulo recipere possit, sub eadem pæna suspensionis.

In reliquis confirmamus, innouamus, & obseruari

mandamus omnia ſtatuta in Synodis Malaſpinæ fol. 4. 11. & 27. prima Sacchetti fol. 25. & 2. fol. 10. Seueroli fol. 18. Denſæ fol. 24. Fortunati fol. 18. 19. & 23. prima noſtra fol. 4. & 5. & 2. fol. 3.

De Reformatione.

C A P. XLIV.

SI Cathedrali, vel alicui Parochiali Eccleſiæ Ciuitatis, vel Diæceſis factum fuerit legatum aliquod perpetuum, vel manuale cum onere Miſſarum, vel Anniuerſariorum, cui ob onera priora ſatisfieri nequeat, prohibemus, & inhibemus Capitulo, & Canonicis, & quibuſcunq; Archipræsbyteris, & Præsbyteris participantibus coniunctim, vel diuiſim in dicto legato ſe ingerere ſub pænis contentis in Bulla de celebratione Miſſarum, & alia etiam pecuniaria arbitrio Epiſcopi, ſed rem ad eundem Epiſcopum deferant, qui iuxta exigentiam prouidebit.

Nullus Sacerdos, aut Clericus extra Diæceſim pernoctet, ſinè licentia Epiſcopi, ſub pæna ducatorum ſex. Parochi verò eandem pænam incurrant, ſi à Diæceſi exierint, inconſulto Epiſcopo, quamuis nón pernoctent, quatenus autem pernoctent, ipſo facto pænam ſuſpenſionis incurrant, ſublata facultate Vicario Foraneo, huiuſmodi licentiam tribuendi; ad hanc formam & intelligentiam reducentes, quæcumque ſuper hac materia abſentiæ diſpoſita reperiuntur in Synodis noſtrorum Anteceſſorum, & noſtris.

Nullus Sacerdos, aut Clericus exeat extra Eccle-

ſiam,

ſiam, aut præ foribus Eccleſiæ ſtet cum ſupelliceo ſub pæna arbitrio Epiſcopi, niſi fortaſſe munus aliquod Eccleſiaſticum id exigat.

Nullus Sacerdos, ſiuè Secularis, ſiuè Regularis, celebret in Eccleſia Monialium, abſque licentia Epiſcopi ſub pæna ſuſpenſionis, ipſo facto incurrendę.

Decretum Synodale Epiſcopi Sacchetti de anno 1646. confirmantes, & innouantes, ſtatuimus, vt ſi quis Sacerdos, aut Clericus cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis, etiam ſi Archipræsbyteratus, Canonicatus, & Dignitatis honore præfulgeat, ad effugiendum pænas per Sacros Canones, Decreta Apoſtolica, aut noſtras, & noſtrorum Anteceſſores, Synodales Conſtitutiones delinquentibus inflictas, literas comendatitias, vel familiaritates, dudum à Sac. Conc. Tridentino damnatas, in actu exequendæ Iuſtitiæ oſtendere, vel quomodolibet de illis mentionem facere, ad illudendum noſtram Iuriſdictionem auſus fuerit, ipſo facto pænam Excommunicationis incurrat.

Statuimus, & ordinamus, vt omnes, qui ad horas Canonicas quomodolibet tenentur, tam in Choro, quàm extra Chorum, recitent Officium ſecundum Calendarium, & rubricas Breuiarij Romani, ſub pæna viginti quinque ſcutorum, tam Cleris, quam ſingularibus perſonis, non obſtante quacumque in contrarium prætenſa, etiam immemorabili conſuetudine, quam vti contra Conſtitutiones B. Pij V. & Clementis Octaui, ac Decreta Congregationis Sacrorum Rituũ, abuſum, & corruptelam declaramus.

Omne genus negotiationis prohibemus Eccleſiaſticis perſonis, ſub pæna ſcutorum centum qualibet vice.

Decernimus tamen licere eiſdem Eccleſiaſticis perſonis conducere bona Eccleſiarum.

De

De foro Ecclesiastico, & Cancellaria.

CAP. XLV.

OMnem Auaritiæ suspicionem à foro Ecclesiastico eliminare volentes, renunciamus cuicumque etiam inueteratæ consuetudini, de recipienda ab Agente Mensæ Episcopalis, portione aliqua emolumentorum, vel actuum Cancellariæ, ciuilium, vel criminalium, sed huiusmodi emolumenta spectant omnia ad Iudicem, & Cancellarium iuxta taxam, quæ sequitur.

Tassa della Cancellaria Episcopale:

QVanto alle materie beneficiali, matrimoniali, testimoniali, Dimissorie, & altre contenute nella Bolla di N. S. INNOCENTIO Papa XI. si osserui onninamente la dispositione di essa Bolla.

Nelle Cause Ciuili.

SI prohibisce onninamente, tanto al Giudice, quanto al Cancelliere, il pigliarsi alcuna, benche minima parte, ò portione di qualsiuoglia deposito per gli emolu-

molumenti loro, ſotto pena della perdita de medemi emolumenti, mà poſſino oſſeruare la prattica vniuerſale, di non dare all' Attore il mandato de conſignando, ſe non ſiano ſodisfatti di detti loro emolumenti, al quale Attore daranno il mandato eſſecutiuo contro il Reo per la reintegratione degl' atti pagati.

Il Giudice per gl'atti, che non ſottoſcriue, non deue pigliar niente.

Per Decreto d'ammiſſione d'iſtanza introduttiua di lite, ancorche ſottoſcriua, non deue pigliar niente.

Per qualſiuoglia Decreto interlocutorio, grana 10.

Per qualunque ſequeſtro, ò reuocatione di ſequeſtro, grana dieci.

Per qualunque Inhibitione, ò reuocatione d'Inhibitione, grana dieci.

Per mandato di ſoſpetto di fuga, grana dieci.

Per Decreto di caſſare ſigurtà, grana dieci.

Per mandati eſſecutiui in contumacia, vn grano per ſcudo, e per mandati eſſecutiui ſer. ſer. per qualunque ſomma, carlini trè.

Per la Viſura, e Studio di Scritture in Iure vn ſcudo per foglio intiero.

Per la Viſura di proceſſo cinque torneſi per foglio.

Per ſentenze condennatorie, ò aſſolutorie in cauſe pecuniarie, da due ſcudi per ſino à cinquanta, trè grana per ſcudo, da cinquanta ſino à cento, due grana per ſcudo; da cento ſino à ducento trè torneſi per ſcudo, da ducento ſino à qualunque ſomma, due torneſi per ſcudo.

Per l'altre ſentenze, che non ſono pecuniarie, mà d'altre materie, ſe vi ſia tratto ſucceſſiuo, e perpetuo, come di ſeruitù, e ſimili, ſcudi trè, mà ſe non vi ſia tratto ſucceſſiuo, carlini dieci.

Li

Li quali emolumenti del Giudice, come anco del Cancelliere, non si possano pretendere, se non dopò seguita la sentenza, prima di dare il mandato essecutiuo. Essendo però in arbitrio del Giudice di far depositare in mano del Cancelliere la propina della sentenza, e gl' emolumenti degl' atti, prima di publicarla.

Auertendosi, che se qualche parte litigante, sia Attore, ò Reo, rinunciarà alla lite, deue pagar tutti li Decreti, & atti fatti fino al giorno della rinuncia, & dopò la citatione a sentenza, si deuono pagare anco le visure, ancorche le parti si concordino prima della sentenza.

Il Cancelliere per qualunque Monitorio, precetto, ò altro atto introduttiuo di lite, non possa pigliar niente.

Per qualunque Monitorio, Inhibitione, ò sequestro, con la clausula, si quis &c. grana trè, e senta detta clausula grana cinque.

Per la presentata di qualunque Scrittura in fatto, ò in Iure cinque tornesi.

Per qualunque sequestro, ò Inhibitione sette tornesi.

Per la reuocatione di sequestro, ò Inhibitione sette tornesi.

Per qualunque mandaro in contumacia sette tornesi.

Per la reuocatione di qualunque mandato in contumacia sette tornesi.

Per mandato sospetto di fuga, con l'esame de testimonij grana dieci, e senza l'esame de testimonij sette tornesi.

Per mandato di rilasciare dalle Carceri con pregeria grana dieci, senza pregiaria sette tornesi.

Per

Per, Non graueтur, & mandato di non molestare; grana cinque.

Per il rogito di qualunque Deposito in actis grana cinque.

Per mandato di restituire qualunque deposito al deponente grana cinque.

Per il rogito di qualunque obligatione fatta in Officio grana cinque.

Per cassare qualunque obligatione fatta in Officio grana cinque.

Per il termine giudiciale ad soluendum grana cinque.

Per la risposta alle positioni, grana due per positione.

Per l'esame de testimonij sopra l'articoli grana due per articolo, e per testimonio.

Per il rogito di qualunque citatione due tornesi.

Per la copia di qualunque Scrittura, restituto originali, conforme alla tassa dell' altre copie.

Per il rogito di qualunque sentenza, assolutoria, ò condennatoria carlini cinque.

Per qualunque mandato essecutiuo ser. ser. in virtù di sentenza, vn tornese per scudo.

Per mandato di consegnar li pegni sette tornesi.

Per mandato de euacuando, quindeci grana.

Per il rogito d'Istrumento di possesso grana quindeci.

Per, Non aperiatur grana cinque.

Per la copia de processi, grana cinque per foglio di ventiquattro linee con dodeci sillabe almeno per ciascheduna linea.

Tutte l'altre scritture, & atti, che non si notano quì, deuono regolare dalli sopranotati.

Nelle Cause Criminali.

AL Giudice per qualunque atto, ò Decreto à fauore del Fisco, ò per informatione della Curia, niente.

Douendo vscire dalla Città à formar processo in causa graue per informatione della Curia, ouero ad istanza della parte, non possa pigliare, se non quindeci carlini al giorno per le spese cibarie, e vetture de Caualli, & non possa starui più di quattro giorni, quando non se glie ne faccia istanza dalla parte.

Per l'esame di qualunque testimonio à difesa, e fauore del Reo; grana quindeci.

Per l'assolutione a delitto, al quale de iure viene imposta la pena di morte, quando vi siano iudicij alla cattura, & il reo ne faccia istanza, scudi sei.

Per l'assolutione da delitto, nel quale entra la pena corporis afflictiua, ò la scommunica, scudi trè.

Per l'assolutione da delitti, ne quali v'entra la pena arbitraria quindeci carlini.

Per mandato de excarcerando, in virtù della sentenza assolutoria, non se li deue niente.

Per Decreti interlocutorij d'assignar difese, scarcerare con plegeria, e simili, non se li deue niente.

Al Promotor Fiscale nell'assolutioni da delitti capitali carlini quindeci, da delitti di pena corporis afflictiua carlini dieci, e da delitti, ne quali entra la pena arbitraria, carlini cinque.

Al Cancelliere per querele, denuncie, esame de testimonij, e qualunque altro atto a fauore del Fisco, e per informatione della Curia, non se li deue niente.

Per

Per l'esame di qualunque testimonio à difesa, e fauore del Reo grana quindeci.

Per mostrare le depositioni de testimonij publicati senza dar la copia del processo, il terzo di quello, che importarebbe la spesa della copia.

Per la copia de processi, come nelle cause ciuili.

Per mandato de capiendo, ad effetto di far dare la plegeria, grana sett' e mezzo.

Per la restitutione de pegni, come nelle cause ciuili.

Per rogito delle citationi, ad istanza del Reo, come nelle cause ciuili.

Douendo vscire dalla Città a formar processo per informatione della Curia, ò ad istanza di parte, sette carlini e mezzo al giorno per le spese cibarie, e vetture di cauallo, e non possa fermaruisi più di quattro giorni, quando non glie ne venga fatta istanza dalla parte.

Per rogito di qualunque pregiaria, & obligatione fatta in officio, come nelle cause ciuili.

Per la presentata di qualunque scrittura, come nelle cause ciuili; & il medemo per la copia, restituendo l'originale.

Per qualunque Inuentario carlini cinque.

Per cassattura di qualunque obligo fatto in officio il medesimo, come nelle cause ciuili.

Per il rogito di qualunque sentenza, la metà di quello, che tocca al Giudice, quando li sono stati pagati gl'altri atti, e quando non li sono stati pagati, il medemo che piglia il Giudice.

Per qualunque mandato de excarcerando, grana sette, e mezzo.

Per la subasta de beni incorporati al Fisco, sino al valore di dieci scudi, grana quindeci, da dieci sino à

venti grana, dieci, da ſcudi venti ſino a cento, cinque carlini, & dopò ſino à qualunque ſomma, mezzo tornese per ſcudo.

Per le ſpeſe contumaciali, quando il Reo, dopò eſſer ſtato condannato in contumacia, compariſce, nelle cauſe capitali carlini quindeci, nelle cauſe di pena corporis afflictiua carlini dieci, e nelle cauſe arbitrarie carlini cinque.

Taſsa del Barrigello, e Carcerriero.

PEr cattura in cauſa capitale carlini cinque, & nell' altre cauſe, carlini trè.

Per il portello carlini cinque, per arreſto carlini due, e per la carcere quattro torneſi al giorno.

Per eſecutioni ciuili, reali, ò perſonali per la ſomma di cinque ſcudi gr. dieci, da cinque ſcudi ſino à venti carlini due, da venti ſino à cinquanta carlini trè, da cinquanta ſino à cento, carlini quattro, e mezzo, e da cento ſcudi ſino à qualunque ſomma, vn torneſe per ſcudo.

Il medeſimo s'oſſerui nelle ſubaſte, così ciuili, come criminali.

De

De Examinatoribus Synodalibus.

C A P. XLVI.

DIſpoſitioni Sac. Conc. Tridentini parere volentes, confirmamus Examinatores Synodales in proximè præterita Synodo electos, & deputatos. Videlicet.

RR. Nicolaum de Viuo Archidiaconum.
Ioannem Iacobum Auanzo Archipræsbyterum.
Auguſtinum la Mola Primicerium.
Blaſium de Benzijs,
Ioſephum Gallum Pænitentiarum
Franciſcum Dolfi Theologum, &
Alfonſum Salcito Canonicos Eccleſiæ Cathedralis.
Ioſephum de Magris Sancti Seuerini,
Donatum Venditto S. Nicolai,
Et Ioannem Mariam.
Cerullo S. Ioannis, Archipræsbyteros.

De Iudicibus Synodalibus.

C A P. XLVII.

AD præſcriptum eiuſdem Sac. Conc. Trident. de eligendo viros ſcientia præditos, quibus a S. Sede Apoſtolica cauſæ Eccleſiaſticæ commicti poſſint, confir-

confirmamus pariter in proximè præterita Synodo electos, & Deputatos. Videlicet.

RR. Augustinum la Mola Primicerium, Iosephum Gallum Pænitentiarium,& Franciscum Martialem Canonicos Ecclesiæ Cathedralis.

De Testibus Synodalibus,

C A P. XLVIII.

ANtiquam, & laudabilem consuetudinem eligendi viros prouectos, & integræ fidei, qui publica scandala, & alia, quæ indigent prouisione, deferant ad Episcopum, confirmamus similiter in proximè præterita Synodo, ad hoc munus electos, & deputatos. Videlicet omnes Parochos Ciuitatis, & Diæcesis.

Quæ omnia fuerunt per me infrascriptum Notarium lecta, & publicata alta, & intelligibili voce, peractis peragendis, & obseruatis cæremonijs perscriptis per Pontificale Romanum post celebratam Missam, Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopo Sedente, ac omnibus alijs Dignitatibus, & Canonicis, ac Parochis atq; alijs qui Synodo interesse debent iuxta consuetudinem Ecclesiæ Sancti Seueri, cum clausula, vt in Decretis, in quibus nulla adest pœna, intelligatur pœna arbitrio Illustriss. Episcopi, per quas pœnas inflictas in prædictis Synodalibus constitutionibus non intelligatur derogatum alijs pœnis Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, sed semper in suo robore permaneant. Er ad interrogationem Canonici Serij Mataresij, Primi Cæremoniarum Magistri omnes responderunt,

runt, PLACET. Actum in Cathedrali Ecclesia S.Seueri die 15. Augusti 1681. In quorum fidem &c.

Ego D. Dominicus Cardines Apostolica authoritate Not. Curiæ Romanæ adscriptus hic me subscripsi, & requisitus signaui &c. Ita est D. Dominicus Cardines Not. Apost.

Extracta est præsens copia à suo proprio Originali quod per me Infrascriptum Notarium, & Curiæ Episcopalis Archiuistam S. Seueri in Archiuio dictæ Episcopalis Curiæ conseruatur, cum quo facta Collatione de verbo ad verbum, licet aliena manu, concordat, meliori semper salua, & pro fide hic me subscripsi.

D. Dominicus Cardines Not. Apost.
Curiæ Romanæ adscriptus.